

AN. 534, 56

B. m

ANNIVERSARIA  
RIVM SACRVM  
PHILOMELÆ, IN QVO

II c  
1786

PASTORES, MOERIS ET

*Amyntas, mala anni, à Christo*

X 1980/148

*nato ex Virgine, 1560,*

*carmine deplorant.*

\* \*  
\*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

Anno 1561.

BIBLIOTHEC  
PONICKAVIAN

Melchiori Theophanis  
Zacharias Pontanus

EGREGIO DOMI  
NO CHRISTOPHORO

ARMPRVSTER, SA: RO: CÆ: MA:

Consiliario & prouentuum regni Pannonici admi-  
nistratori, domino & patrono suo summa fide

colendo Georgius Purkircher

S. D.

+  
Salue Christophore & ferende Christo  
Armprustere, decus nouem sororum,  
Salue, & uiue tui memor Georgi,  
Qui mittit tibi motus, hæc, furore  
Cæco, carmina, nil quibus leporis  
Mixtum est, nil sapidæ eruditionis.  
Supplex & petit, orat, obsecransq;  
Obtestatur, ut ista fronte tali  
Quali dat capias, fauente uultu  
Nugas intueare & has inanes.  
Smyrnæo canere & queat disertus  
Si plectro, officijs tuis referret  
Grates non meritas tamen canendo.  
Pellæo cecinit malus Poeta  
Regi Chærilus, Et tibi querentes  
Pastoralia, Mœrin atq; Amyntam,  
Blandis auribus audias precatur.  
Defunctam Philomelam, & ante tempus  
Custodes pecudum interiisse summos,  
Alternis referent piæ Camœnæ.  
Grata est materia & meretur amplam  
Laudem, Carminibus, quod hinc redundat  
Cedet forte quid ut placere possint.  
Sit grata & sine uiribus uoluntas.  
Salue Christophore & ferende Christo  
Armprustere, decus nouem sororum.  
Semper te Deus & tuos gubernet  
Natus cum patre spirituq; sancto.

+  
CHRISTOPHORO  
ARMPRVSTER

# AMYNTAS ET

*Mæris pastores.*

**S**alue ô iam longo non tempore uise sodalis. •  
Salue & tu dilecte loco mihi fratris Amynta.  
Natiuus quo Mæri tuo rubor ore recessit,  
Cur palles? morbum color hic in corpore prodit.  
Quid frons cana, quid hanc gemebundus scalpis,  
Per tua serpendo grassatur ouilia morbus? (an ullus  
Aut iam uere nouo pecudes contagia torquent?  
Deniq; cur hodie solenni ueste superbis,  
An noua solus habes intra tua limina festa?  
Cum totus leto pagus nunc sudet in agro  
Desidia stertens secura quid otia ducis?  
Agricolis uerno grauius nil tempore totus,  
Multiplices propter per prata & rura labores,  
Affert, expertus nemo illa negauerit, annus.  
Et tua tota domus simili torpore pigrescit?  
Quin saltem mandas tua pingua rura ministris  
Excolere, aut flammis uiridantia prata repurgas?  
Ledunt umbrosæ surgentia gramina spine  
Et quoq; messorum falces lentore morantur.  
Non hoc ista decet tranquilla ignauia tempus.

Non equidem inuideo farctas pinguedine buccas,  
Quæ tua adhuc, male iam nictantia, lumina claudet.  
Ceu lituos infles, aut grandes uentribus utres.  
Et nostro memini tales in corpore uires.

A 2

Proximus

A.  
M.  
A.

BA

Proximus at totus pressit me duriter annus,  
 Fortuna aduersas uariè sufflante procellas.  
 Magna domi, maiora foris fluxere pericla  
 Me contra, & sauis tumuerunt aequora uentis,  
 Cuncta mihi pelagus fuerant, rapidae omnia syrtes,  
 Ut neq; mirarer tanto si pondere fati  
 Hec mea, quae superest languens, oppressa fuisset,  
 Vita, & succumbens patiendo mortuus essem.  
 Hinc facies palletq; cutis uix ossibus haeret.  
 Moeror edax animi uires & corporis aufert.  
 Otia sollicitus mea ne mireris Amynta,  
 Si nescis, hodie fatalem perficit orbem  
 Annus, ubi immites Philomelæ stamina Parcae  
 Ruperunt, misere febrili tosta calore.  
 Ista dies atro cunctis signanda lapillo  
 Lugubres renouat uoces, & mœsta reportat  
 Cum lacrymis longo querulos examine luctus.  
 Ultra Sauromatas, extremos inter & Indos  
 Si ferar, at meliora Deus det, ab hostibus exul,  
 Cœlesti quoties lux ista refulserit orbe,  
 Guttore tunc questus, lacrymas tunc lumine fun-  
 Pinguibus & nostras lucentes ignibus aras (dam,  
 Accendam, sua erunt Philomelæ sacra sepultæ  
 Annua, lux fastis hæc est iungenda uetustis,  
 Scribeturq; noui festi, Philomelia, nomen.  
 Sic Pan curet oues mihi, sic fætura bidentum  
 Augeat alma greges, repleant mulcetræ capellæ.  
 Huc ades & trito mecum hoc in limine siede,

Aut

Aut cape quam cernis contextam ex uimine sellam.

Vera refers, uariae sed caeco in pectore cura  
Talia nos meminisse uetant, nec publica nostras  
Ignauas mentes, ceu propria, damna molestant.  
Cum Philomela suae finisset tempora uitae  
Oceano pullos tunc matutina uocarat  
Gallina, & reliquis stellis coniunxit olympi,  
Quod, bene si meministi uerborum, Pleiades, astrum  
Dicitur à doctis, ut me meus ipse docebat  
Filius, hac linguam Graecam qui discit in urbe.  
Tempore quo multus caelo delabitur imber  
Ut Gallina lauet pipientem sedula turbam.  
Illa quid assurgens gleboso ex cespite moles  
Purpureis uiolis & multo flore decora?

Annua iam primum Philomelae sacra peregi,  
Ex uiridi tumulum congesi cespite inanem,  
Hi mea & exigui tugurij sunt munera flores,  
Has etiam uoces tristi repetiuimus ore. +  
Salue dulce melos, salue Philomela piarum  
Salue lux uolucrum, cineres saluete perennes,  
Saluete & placida manes requiescite sede.

Gratior est pietas in sacris praestita templis.  
Templa, Dei scis esse domos, quis numinis aedes  
Spernat? In his audit gemitus & uota precantum,  
Non precibus gaudens timidus quae angulus offert.  
Publica dat Deus & quoque publica dona reposcit.  
Cur non ad tumulum Philomelae Mœri propinquum  
Istas exequeris pompas, uacuum quid adornas,

Cur simulata placet, prope sit cum uerior urna?  
Ille locus tales fieri sibi poscit honores.

Ed.

Erras si temerè fieri isthæc reris Amynta.  
Publica quis nescit superis mage sacra probari?  
Ambitione meis nec sacra domestica caulis  
Institui. Noua stant causis exempla caduntq;  
Ingentes habeo & iustas, te iudice, causas,  
Quas tibi, ni lacrymis cesset uox languida, dicam.  
Lux radijs postquam nostras hodierna fenestras  
Tingeret, atq; senis linquens aurora cubile  
Solis equos roseum pulchrè iunxisset ad axem:  
Acclamo famulos hesterno uespere lectas  
Res sumant, sacris usus quas destinat aris,  
Meq; ad defunctæ Philomelæ busta sequantur.  
Accurrunt cupidi mandata & herilia curant.  
Ibamus, breuior uia facta est inter eundum,  
Ordine multa meis recitabam carmina uatum  
Summorum, ad tumulum Philomelæ inscripta ta  
Si quis honor uatum, dixi, si præmia doctum (bellis.  
Carmen habet, Deus hos uates ornabit honore  
Constanti æternos fama qui duret in annos,  
Ille pias amplo persoluet munere dotes,  
Nec Philomelæ unq; uatum nec fama peribit.  
Interea ad tumulum uentum est, ubi sacra parari  
Debuerant, sed cuncta canum feruere uidemus  
Copia, ibi immanes sæua excrementa molossi  
Ore utroq; uomunt, grandi & foetore sepulchrum  
Sanctum dedecorant, alij telluris in imum

Vnguibus

Vnguibus hamatis penetrant, ipsumq; cadauer  
Exanimum rodunt, trepidat sub dentibus esca,  
Membra in frustra secant, nec edunt, sed secta relin-  
Conspurcāda canū uomitu merdaq; cohorti. (quunt  
Ad tumulum nigra tellure Melanthion exit  
Et ramis tenerum languenti & caule pusillum.  
Iuncta adstat semper uiridanti fronde Sabina  
Quæ graciles latum ramos propagat in orbem.  
Peucedanum luteo prodit quoq; amabile flore  
Cui caulis tenuis, diues sed germine radix.  
Has etiam pulchras immani stercore plantas  
Polluit, & mictu lædit fera turba procaci.

Nonne pedo morsus poterat prohibere nefandos,  
Verbere & à tumulo turmas arcere caninas?

A:

Tentaui, & mecum pastorum maxima turba  
Attentaui idem, sed uerba & uerbera rident.  
In nos confrendens rabiosis dentibus agmen  
Irruit, atq; omnes, fuga ni suscepta fuisset,  
Tunc consumsissent, Tanto grex iste furore  
Grassatur, nec adhuc habet ista licentia finem.  
Et quod mirari nequeo satis, ante secuti  
Nostra armenta canes ( ceu nos custodibus illis  
Vtimur & fures contra incursumq; luporum )  
Gaudebant quoties Philomelam suaue canentem  
Audierant. Multos uidi ipse in clune sedere  
Primis innixos pedibus, uocesq; sonoras  
Obseruare pio quas pectore finxerat ales.  
Nunc tamen innocuam, mortali sorte peremtam,

M:

A. 4

Tanto

Tanto odio infestant, patulo & miserabile corpus  
Ore petunt, foedeq; insontia membra cruentant.  
Hetz aus est reliquos inter, quem nouimus ambo.  
Sæpe serum pingue, aut spumosi iura colostri  
In caulis nostris, ut parca ferebat egestas,  
Illi præbuimus, pecudum cum strenuus hostes  
A nostris poterat septis arcere rapaces.  
Hic Philomelæ adstans quantū simulabat amorem?  
Flexibili cauda cantanti semper adulans,  
Tergore uilloso ramos demulsit, ut ipsa  
Illis insidens auis hinc sua gaudia haberet.  
Nunc non contentus tumulum lacerare sepultæ,  
Verumetiam pectus uenerandum dente reclusit,  
Querit & exanimi sitiens in corde cruorem.  
Sanguinis ista sitis polluto hoc regnat in ore.  
Obstupui tam dira uidens, mecumq; Palæmon,  
Qui canis horrendum uix acclamauerat ausum,  
Igneſcunt oculi torui, coma mobilis horret,  
Dentatoq; fremens contra ambos gutture fertur,  
Tanta mali uis est, uicina ibi creuerat arbor,  
Hæc conscensa simul nos turpi à morte redemit,  
Corpora non poterat, læsit latratibus aures.  
Pastores etiam quos nostra hæc educat ora  
Vidimus hic aliquos Philomelæ inspergere tumbæ  
Hastatas spinas, sentes, dumeta, rubosq;  
Vrticas alij plenis, uis ignea plantæ,  
Apportant calathis, maleolentes floribus herbas  
Collectas alij tumulo sua munera donant.

Hos



Hos affabamur reliqui, iam gratia facti  
An ueteris cecidit? Quis uestras occupat error  
Mentes, nonne canum satis est scuire cohortes?  
Desinite obscœnis donis foedare sepulchrum,  
Non ignominiam tantam Philomela meretur,  
Longè alios meriti fore mortua sperat honores.  
Diximus, infremuit monitis plebs scœua benignis,  
Territat & bellis, aut tuta silentia mandat.  
Sic similes canibus pastores omnia grandi  
Clamore atq; ausis bachantes turpibus implent.  
Cessit amor pecudum, iacet omnis cura peculij,  
Vnicus ille labor cunctis, uiolare proteruè  
Quæsitis scelerum, Philomelæ uiscera, formis.  
Ni Deus aut regum quis fortibus opprimat armis  
Has socias turbas, Quo tanta licentia tandem  
Non ruet, aut quid erit toto inuiolabile mundo?  
Hæc est causa domi peragi quæ sacra coegit,  
Hinc doleo, & frontem, canam mærore, frequenter  
Scalpo. Quis hoc misero sit tempore letus Amyntæ?

Et quæ tanta datur sceleratis causa furoris?  
Impietas similis nulla est audita supremis  
Maiorum, aut nostris, ullis uentura uel annis.  
Pacificam uixit turpi sine crimine uitam,  
Profuit innumeris semper, nulli obfuit unquam,  
Tam pia, tam dulcis uolucris, quæ sæpe canendo,  
Non potu non usa cibus, se carmine pauit,  
Vnica cura fuit suaues effingere uoces,  
Nec contenta dies longos abscondere cantu,

A 5

Imme=

A.

Immemor at somni, noctis quoq; iunxerat horas.  
Non tamen optata fruitur defuncta quiete,  
Extrahitur tumulo, spoliū execrabile facta  
Sanguibibus canibus, uanæ & res ludicra plebis.  
Omnia sunt ingrata, Vetus iam Gratia numen  
Occidit, & summis cœli caput abdidit astris,  
Occubuit uirtus, turpi scelus imperat orbi.  
Sed Deus hoc fœdum clementer diruet agmen  
Qui mundas uolucres & sancta sepulchra tuetur,  
Iratuq; suo fulmen iaculabitur arcu,  
Insani Stygia quo submergantur abyssō,  
Illos ut socios muniti ianitor Orci  
Cerberus æterno triplex sibi fœdere iungat.  
Impia pastores augebunt castra Gigantum  
Impij, & hi summo Diuos detrudere cœlo  
Intrepidis sæui tentarunt fortiter armis.  
Sed quas ante domi clades, quæ damna forisq;  
Tot sensisse miser dixisti, lapsus an annus  
Tanto Mœri tuas fortunas pondere pressit?  
Fare age, lenit enim recitatio crebra dolorem,  
Aut ope si potero te consilio iuuabo.

M.

Cum puer exultans equitare in arundine longa  
A patre uicinos unâ ducebar in agros,  
Sæpe pater matri simul hæc memorabat eunti:  
Bissenī extremus lustrī cum fluxerit annus,  
Stabit & agricolis iam sexagesima messis,  
Tunc homines caueant, casus uereantur & omnes,  
Tunc animos prompto cordatos robore firment,

Fortunæ

Fortuna ut uarias possint eludere fraudes.  
Hæc alij quoq; uerba senes & grandior ætas  
Dixerat, hæc memori nunc pectore dicta uoluto,  
Quos tunc non potui nimis atq; intelligo sensus.  
Impius est qui cauta senum præfagia ridet.  
Caui, sed mea nil lenit prudentia fatum,  
Profuit & mea nil genitrix ut multa caueret.  
Scis meæ ut ante domi pater atq; industria mater  
Vixerit, hæc fessum morbis annisq; parentem  
Fouit, ut halcyonem curat foemella maritum.  
Nunc solus pater est qui limina mæsta gubernat  
Quem premit annorum series & curua podagra.  
Mater ubi infelix quartanæ tormina febris  
Longa tulit, morbus facto ceu sine quieuit,  
Gauisa estq; parens tanta iam libera noxa.  
Tunc uentrosus hydrops onerauit membra tumore,  
Febriliq; calens, æstu, quos sumserat haustus,  
In fluidos mutauit aquæ, natura, liquores,  
Hosq; cutem corpusq; intra corrupta protrusit.  
Expleri nequit ægra sitim ardescitq; bibendo,  
Et quo plura bibit, plura optat pocula supplex.  
Post, puto defessus, lucens exaruit humor,  
Membraq; commigrans quo nescio, plana reliquit.  
Subsequitur nigro morbus languore caducus,  
Quo correpta feros uertebat in omnia uultus,  
Et mordens linguam spumoso concidit ore.  
Accurri lacrymans, & mater desine, dixi,  
Te genitæ soboli tristes iterare dolores,

Parce

Parce patrem nobis, tibi contristare maritum,  
Desine tam toruos mater iamq; exue uultus,  
Dixi, & dilecto necebam brachia collo,  
Addidi &, à puero quod non feci, oscula multa.  
Illa sed immotis oculis, uelut horrida cautes  
Mansit, & has lacrymas aut surda præterit aure,  
Aut alijs morbi causis uox faucibus hæsit,  
Nec prolem, aut thalami uerbo est dignata sodalem.  
Tandem oculos tollens suspiria longa trahebat,  
Morbi iam cessante lue, nil conscia morbi,  
Vlla nec ægra dabat passi mens signa doloris.  
Tunc uarias audax, quasi non ægrota, loquelas  
Instituit, morbi cum mentio facta prioris  
Vlla fuit, uana hæc scio sunt mendacia dixit,  
Non mihi uestra unq̄ morbum persuasio finget.  
Nec tamen hoc morbo potuit succumbere, lentæ  
Postea sed tabis diuturno concidit igne.  
Non morienti aderam, digitis nec lumina clausi,  
Non super incubui, non oscula frigida carpsi,  
Non lacrymis corpus iustis exangue rigaui,  
Funeris extremum nec sum comitatus honorem.  
Illius in somnis mihi blanda occurrit imago  
Nuper, & hæc uisa est, me ceu uigilante, locuta,  
Nate meum lacrymis somnum ne rumpe quiesco.  
Excitor, & somnus uisa cum matre recessit,  
Mærores tamen hæc insomnia blanda leuabant,  
Noctis & hos lusus felix interpretor omen.  
Me peperit cum quinq; alijs ter, casta, tenellis

Natis,

Natis, atq; omnes miro dilexit amore,  
Me tamen, id quare sit factum nescio, cunctis  
Prætulit. Est matris quid inenarrabile storga,  
Qua studiosa marum mage quam muliebri tuetur  
Germen, & illa subit mentem pietatis imago,  
Illa ciet lacrymas, fouet alto & corde dolorem.

Vita hominis labor est, somnū uitæ exitus affert,  
Hanc Christi peperit nobis mors pulchra quietem.  
Amisamne doles matrem cum mortua uiuat?  
Dormit & ad Christi uocem experrecta resurget.

Occidit & Dryades inter pulcherrima Nisa,  
Quæ moritura, uale, dixit, mea Mœri uoluptas,  
Et complexa fuit tristem morientibus ulnis.

Et rosa pulchra nitet, breuis hanc tamē enecat  
Et uernæ uiolæ lucent, subitoq; senescunt, (hora,  
Lilia & alba uides, succisa sed arida marcent,  
Quid niue splendidius, paruo tamen interit æstu?  
Pulchra iuuentutis constans nec permanet ætas.

Omnia mors aufert, nil formam cæca pauescit.

Inuenies aliam casto quæ iuncta cubili  
Optatos tecum procreet sæcunda nepotes.

Parcite uirgineum uermes arrodere corpus,

Parce genas tellus rosei consumere uultus,

Rugosæ matres sint pabula uestra, senectæ

Aut quos annorum longo premit ordine patres.

Sed tua quæ fuerint plura infortunia narra.

Bis fere commotis perij submersus in undis,

Hoc miserum petiere caput pater Ister & Albis,

Noster

A.

M.

A.

M.

Noster at ista Deus clemens nocitura repressit  
Numina, cui tellus cui paret pontus & ether,  
Huic memori semper persoluam pectore grates.  
Sum quid adhuc grauius passus, sed nolo dolores  
Infandos renouare. Vides tot solus, Amynta,  
Præteriti fueram concussus fluctibus anni.

A. Nil ita crudele est dictu, sors sæua nec ulla est,  
Nullæ sunt pœnæ fabricat quas numinis ira  
Illas quin superet natura humana ferendo.  
Vtile at insuaue est homini patientia numen.  
Fide Deo, talem tu naufragus arripe portum,  
Hæc Cynosura reget surgenti in turbine puppes.  
Iam mala Mœri tuo recites, quæ publica dicis,  
Carmine, pauca scio, sed plura audire iuuabit,  
Incipe, nil posthac ubi dixeris ista, rogabo.

M. Non immensa canam, quæ nescio, funera Regum,  
Regnorumue uices, heroum aut bella potentum,  
Quæ uolupe est hominum nunq̄ innotescere uulgo,  
Sed quos pastores, nemorum quas fata uolucres  
Abstulerint lapso, repetam nunc uersibus, anno.  
Musa meum carmen grato consperge liquore,  
Diuinisq; laues incondita uerba fluentis.

19. Aprilis  
in domino  
placidè ob-  
dormiuit  
D. Philip-  
pus Me-  
lanctron.

Principium Philomela fuit lugubre malorum  
Mortua uitales cum leta relinqueret auras.  
Ver erat, & uiridis stabat iam frondibus arbor  
Umbrosisq; comis ramos expansa superbos,  
Frigida iamq; tepor uolucrum liquefecerat ora,  
Ordine quæq; suos pulchro cecinere sonores,  
Clangebant

Clangebant syluæ. sed cum Philomela periret,  
Sylua suos frondes, uocem retrahebat & ales.  
Corticibus lacrymas arbor fundebat apertis  
Hæc dans signa sui magni non friuola luctus.  
Atrato rutilas uelabant tegmine pennas  
Cultrices pietatis aues, atq; ungue cruento  
Vellebant plumas, hirti & palearia menti,  
Tristibus atq; heu heu genuerunt flebile rostris.  
Garrula deplorans Philomelam in Vallibus Echo  
Edebat Philomela, sonos, Philomela, nec ullas  
Præterea uoces lacrymoso effudit ab ore.  
Fama sed ut fidas pastorum uenit ad aures  
Vera piæ apportans Philomelæ funera, quantus  
Ortus ubiq; dolor, quantæ insonuere querelæ?  
Custodem pecudum scio, qui resupinus in antro,  
Pasceret ut simas accliui in rupe capellas,  
Tale sua carmen modulans tunc coepit auena,  
Quod repetam, docto gaudent pia carmine festa,  
Nec te poeniteat, digna est querimonia scitu,  
Audire, & mage fit lux hæc solennis, Amynta.  
Occidit, & nomen quoties ego dulce recordor  
Ora pijs lacrymis sudant, Philomela uadosum  
Leucoreo quæ læta solo cantabat ad Albim,  
Deliciæ nemorum, summa usq; ad sidera nota,  
Quæ uolucres docuit normatas iungere uoces,  
Concinnum & resonare melos, iucunda Deorum  
Quos unq̄ tacuit nec corde nec ore uoluptas.  
Quot uarijs uolucres nemorum conuallibus ortæ

Ad

Ad montis niuei sterile aduenere cacumen,  
Ut quos uoce sonos Philomela arguta ciebat  
Arripiant dociles, iuuenili & pectore condant,  
Atq; pares studeant imitari in carmine uires,  
Qui numerare uolet, messis numerabit aristas,  
Et cœli stellas, & Ponti in gurgite pisces.  
Occidit in syluis decus heu pastoribus ingens  
Solamenq; mali. Viridi proiectus in umbra  
Heu quoties iacui, Corylis circumdata densis  
Cum Philomela pias uoces cantaret ad auras,  
Dulcis & hinc fessos quoties sopor obruit artus  
Immemor herbarum stabat maculosa iuuenca,  
Semiesum patulo tenuitq; in gutture gramen,  
Admirans paruo tantum esse in corpore robur.  
Exiguamq; sonos tantos effundere linguam.  
Tunc nemo inflatis pecudes in pascua duxit  
Utribus, altipetas capras, agnosue petulcos,  
Carmine cuncta suo Philomela armenta uocabat,  
Quo tenuit summo suspensas monte capellas,  
Quo tonsas sibi iunxit oues rexitq; sequaces.  
Plus tunc lactis erat lanarum maior aceruus,  
Carminibus lætæ pecudes per grata ruebant  
Pascua, ceu cantu saturas sic gramine nunquam  
Se fieri attentæ, sic cogito, posse putabant,  
Tam distenta domum referebant ubera lacte.  
Vespera ubi uenit, tristantes rure relicto,  
Verberibus cogens uix ad stabula alta reduxi.  
Lucifer at primum cantare ubi cœperat ales,

Est



Est fragor exortus subito in praesepibus amplis,  
Ostia pulsa fero cornu ingemuere, frequenter  
Hæc quoq; confregit tot grex occurribus audax.  
Mox igitur uili properans excedere lecto  
Saltantes pecudes etiam custodibus absq;  
Emisi in campos longa procedere pompa.  
O quoties memini foribus cum forte reclusis  
Astarem propius, cupidus numerare seorsim  
Egressas, certa & post interualla, cohortes,  
Tunc petulans subito me incautum cornibus hircus  
In coeni turpem trusit fetore lacunam  
Ut facies & barba fimo polluta rigeret,  
Nec properans domino mea turba ingrata pepercit,  
Tantus amor pecudum, nostrum & Philomela le-  
Curarum fuerat, nec eam superesse dolemus. (uamen  
Occidit & cantus, nostræ & pia Musica Syluæ,  
Harmonia & nostri cecidit dulcissima secli,  
O utinam liceat nostris in montibus unq;  
Defunctæ similem Philomelæ audire uolucrum.  
Gramina secta uides turpissima sponte renasci.  
Mortua in autumnno, post planta in uere resurgit,  
Datq; sequens flores quos proximus abstulit annus,  
Nostra reuiuiscat nobis Philomela precamur,  
Gloria sic campis & ruri prima rediret.  
Talia cantanti subrepens lumina somnus  
Clausit, & afflata resouebat membra quiete.

Deinde Leonino pastor de robore dictus,  
Qua Bartpha, intra altos scopulos uelut altera Vly

B

(sis Leonartus  
Stochel  
rector scho-  
læ Bart-

phenfis in  
domino pla  
cidè obdor-  
miuit die 7.  
Iunij.

Patria, conspicitur, tanti cum nuncia luctus  
Audisset, perit omne decus, dicebat, in a litis  
Montibus, interijt sylvarum omne ornamentum,  
Occidit heu uolucrum uigilans Philomela magistra,  
Omnibus impendent heu quanta silentia syluis?  
Hac sine dulce nihil, graue uitam & pondus habebō,  
Te Philomela sequar, tua consuetudo sub umbras  
Me trahet, æternos simul ut uiuamus in annos,  
Dixit, & est iecoris morbo correptus acuto,  
Quo post consumtus Bartphana excesserat urbe  
Letus & ætheream coeli conscendit ad arcem.  
Pannoniæ cecidit flos, fama & gloria terræ.  
Omnes quos pecudum numerat gens illa magistros,  
Vicerat arte potens & docto carminis usu.  
Lanigeras cum pauit oues, Dux præuius agmen  
Commoda iucundo per pascua carmine duxit.  
Cum lupo insidias timido struxisset ouili,  
Omne pecus timuit, pastorum turba timebat,  
Voce leonina solus deterruit hostem,  
A caulisq; lupos clamans arcebat obesos.  
Sedulus agnellos, teneros curabat & hædos,  
Sæpius expansis hœdum gestabat in ulnis.  
Deuia si qua greges properos neglexerat agna,  
Hanc, formidatus nil tædia longa uiarum,  
Ad notum turbæ numerum mox ipse reduxit.  
Omnia uitabat magna contagia cura  
Innocuas quærens cum pratis mollibus undas.  
Voce lupos, uulpes terrebat uoce dolosas,

Sepe

Sape est gallinae prolem tutatus inermem,  
Nec passus uulpem clausis in cortibus unquam  
Grassari, uetuit clamans quoque uulturis omnes,  
Queis summo captat pullos ex aere, fraudes.  
Mellificas dilexit apes, aluearia circum,  
Sole sub ardenti, noua quando examina surgunt,  
Adfuit, et cantu iuuenilia pectora mulsit,  
Ut patrias sedes teneant, mirentur et artes  
Maiorum, et primis illas imitentur ab annis.  
Idem me docuit cera coniungere plures  
Cannas, ad numeros triuiale et dicere carmen,  
Sicut et innumeris alijs hanc tradidit artem  
Gratis. Nil curae est fidis pastoribus aurum.  
Pannonis ora dole, Bartphenses plangite campi,  
Funde tuas lacrymas Gepidarum florida tellus,  
Transsylvana pias his Dacia iunge querelas,  
Vestros Sauromatae uicini ostendite luctus,  
Ille leonino sumens de robore nomen  
Occidit, heu, uestris solamen ouilibus ingens.  
Secla futura uirum talem nec ferre putemus.  
Posterior magis hunc quondam admirabitur aetas,  
Illius memori laudabunt pectore nomen.  
Ille leonino qui robore nomen habebat  
Quisquis erat, dicent, iunctis quae dulce cicutis  
Cantabat, sua adhuc gratum et dulcedine carmen,  
Sit bene defuncto, bene dulcia labra quiescant.  
Oceani Boreis terra est innata procellis,  
Quam Danus pugnax curuo diffindit aratro.

Iacobus Bordingus erat pastores clarior inter.  
 Bordingus Si qua lues pecudes, si psora aut ulcera lento  
 Medicus pla Vexabant stantes alta ad præsepia morbo,  
 cidé in do- Vexabant stantes alta ad præsepia morbo,  
 mino ob- Plantas, quas medicos promptas seruabat in usus,  
 dormiuit Attulit, atq; illas oleis, nunc unguine miscens,  
 die 5. Au- Pharmaca composuit, pecudū quibus abstulit omnem  
 gusti. Morborum seriem, caulas quæ tentat agrestes.  
 Hunc prior, ante diem, ualidum, quoq; sustulit æstas.  
 Pastores doleant pinguis quos Dania nutrit,  
 Illorum si fœda lues iam septa ueneno  
 Imbuat, & pecudes scabies infestet auara,  
 Quis poterit morbi causas, quis pharmaca nosse?  
 Illa quis ignarus præstet cum laude? peritos  
 Vult medicina uiros, tamen hi quoq; sæpius errant.

Occidit & pulchri pascens ad flumina Nicri  
 Lotichius, doctum semper cantare paratus,  
 Testantur Nicer & Rhenus, duo numina, carmen.  
 Nunc has nunc alias multa dulcedine uoces  
 Repperit, ut iuuenem mirata sit Itala tellus,  
 Dixerit atq; dolens, Non hoc Germania potax  
 Digna unq̄ pastore fuit. Mala lingua futuro  
 Vati mox nocuit, nocuerunt fascina Vati.  
 Baccare quis frontem poterat cinxisse decoram,  
 Immatura suo ne atroces ense sorores  
 Lotichij, sed post quid consulo, fila secarent.  
 Huic inuicta suas tribuit quoq; Gallia laudes,  
 Moribus, ingenioe magis sit amandus an arte,  
 Dicere non potuit, Germanæ gloria gentis

Maxima,

Maxima, dixit, eris, tibi prospera fata precamur.  
 Teutonia attentas cantanti præbuit aures,  
 Illius ad uoces & mortua tota reuixit,  
 Lotichij æternum celebrabit & ardua nomen.  
 Lotichij in auratis pendeat fistula templis  
 Et suus huic præstandus honos non desinet unquam,  
 Lotichiumque suum Germania tollet ad astra.  
 Heu mihi, cum caneret, mirum, pecus omne stupebat,  
 Hædulus & dulci dependens ubere matris,  
 Vbere neglecto, cupidus inspexit ocellis  
 Cantantem, & patula, materni oblitus amoris,  
 Aure sonos hausit, nec ab hoc cantante recessit,  
 Nec solum cantu, fuit & medicamine clarus,  
 Morbis infectum cum sæpe audiuit ouile,  
 Pharmaca Apollinea felix commiscuit arte,  
 Et stabulisque luem discedere fecit atrocem.  
 Est ut Apollo lyrae simul & medicaminis author,  
 Arte in utraque potens sic iure secundus Apollo  
 Lotichius dici, & proles Phœbeia, meretur.  
 Ceu fauus huic dulci carmen manabat ab ore,  
 Gratia & hoc nitido formabant rore politum,  
 Adfuit ipsa Venus, quæ carmen amabile reddens,  
 Aspersit faciles, mixta grauitate, lepores.  
 Quæ Medici norunt penetrabilia cuncta subiuit,  
 Pastorum multi quæ nec per somnia cernunt.

Occidit, at lacrymis sine quis canat illa, Medusa  
 Si quoque uel uultus, oculos habeatue minaces?  
 Occidit heu placidi laus exoptata Viadri,

B 3

Qua

Georgius  
 Sabinus pla-  
 cidè in do-  
 mino ob-  
 dormiuit  
 die 2. Decem-  
 bris.

Qua uada Francorum tribuerunt nomina terre,  
Agricola, antiqua nomen de gente Sabina  
Usurpans, tuus interijt iam Marchia alumnus,  
Illud & externis multum admirabile lumen.  
Italicas fuerat missus legatus in oras,  
Hausit ubi infelix febrilis lenta ueneni  
Semina, quæ, quarto redeuntia Sole, medullas  
Ossa intra lacerant sæuo exuguntq; rigore.  
Hinc æger casulæ parua ad sua limina uectus  
Inuenit mœstam mœsta cum coniuge prolem.  
Absentem doluere, magis doluere reuersum,  
Tantus in exhausto serpebat corpore languor,  
Pallida labra, labris nudos, caua lumina, dentes.  
Deniq; cuncta uident, tristes, exanguia membra.  
Deuouet Italianam coniunx cum prole, maritum,  
Et longa infectum quæ reddat tabe parentem.  
Pharmaca multa parant, Medicis quæ sæpe probata.  
Ante fuere, prius quibus atq; in corpora robur  
Viuisicum redijt. Sed nil medicamina prosunt  
Cum mora longa malum damnis grauioribus auxit.  
Et natura iacet uires exuta priores.  
Hoc misero gaudens excessit carcere uitæ,  
Certus in æternæ patriam transire salutis  
Certus & immensa coeli dititione potiri.  
Occidit Aonidum cura, ignis, uita sororum,  
Gorgonei cui iubar equi dedit inclyta Pallas,  
Addidit & frenum gemmis auroq; decorum,  
Multa subinde monens quo colla superba gubernet  
Ordine,

Georgius  
Sabinus  
de in do  
de oris  
de oris  
de oris  
de oris  
de oris  
de oris

Ordine, ne incautum fessorem Pegasus audax  
Tergore deiciat, uagus & discursset in orbe  
Paruit hortanti iuuenis, conscendit & altum  
Numine fretus equum, celeremq; inuertit in orbem,  
Calcare nil usus, magnis nec uiribus ullis,  
Conscensum solis animal cicurabat habenis.  
Infessore suo gaudens Neptunia proles,  
Frena ferox agili spumantia mandit in ore,  
Vngula & instabilem calcans dispergit arenam,  
Vnde suos sumsit felix Germania fontes,  
Qui uitreis nostros humectant annibus agros,  
Flumina & aeterno pariunt ingentia fluxu.  
Fonticulos tales est Marchia nacta salubres,  
Multa & in his terris iam cernitur Hippocrene,  
Calce suo meruit nobis quas arduus omnes  
Pegasus undarum dotes rectore Sabino,  
Cuius ubi audiuit mellitas ore fluentes  
Voces, aethereas acer conscendit in auras,  
Et uarijs equitem terris monstrabat ab alto.  
Tanta erat illius diuino in carmine uirtus,  
Tam bene concinnis carmen fundebat auenis.  
Vt leuis in summas nubes dum surgit alauda,  
Indefessa suo cantu, indefessa uolatu,  
Ruricolam exhilarat, fessos instaurat arantes,  
Impigrè ut curuum læti sectentur aratrum,  
Atq; alacres uiridi findant in cespite sulcos.  
Ipsos uoce boues mirum gaudere uolantis,  
Nec iuga prima putant collis pendere subactis,

Pondere ceu uacui sed herilia rura pererrant:  
Sic ager omnis erat letus cantante Sabino.  
Hic quoties iuncta cantabat arundine carmen  
Ad uada considens lenti piscosa Viadri,  
Vnda suas oblita uias (audire putaret  
Labentes quis aquas?) ceu saxum immobile stabat.  
Stabant et pulchris stringebant littora pinnis,  
Conspicui frontem, uocis dulcedine, pisces.  
Ad numeros duxere suas armenta choreas  
Et dominum circa grex signato orbe cucurrit,  
Vicina in ripa quem ludere siuit arena.  
Agricolae latis tunc incubuere lacertis,  
Ferreus uisa fuit tunc pluma in uomere moles,  
Vllus arare labor duris nec creditus aruis.  
Indefessa boues colla ad praesepe ferebant,  
Inuitosque domum uix a cantante retraxit,  
Carmine sic tauri delectabantur, arator.  
Inuitus summo Phoebus quoque cessit Olympo,  
Cum caneret, terrae celeres deuouit et umbras.  
Pegasus auscultans salientes calcibus amnes  
Interea effodit, dominus se fonte lauabat  
Pegaseo, atque sitim notis sedabat in undis.  
Hoc fera mors miseros spoliauit munere ciues.  
Nunc silet omnis ager lamentans fata Sabini,  
Pastoresque gemunt lugubre in montibus altis,  
Rustica et infelix nunc heu heu fistula plorat.  
Haec mala praeteritus moestis ambagibus annus  
Attulit, ah similis ueniat post nullus Amynta,

Mutas



Mutas efficerent omnes tot funera sylvas,  
Dulcis & in nostris cessaret Musica campis.  
Nam pauca uolucres, pastorum turba pusilla,  
Concordi ueteres imitantur pectore Musas,  
Ac patrium sancto repetunt conamine carmen.  
Maior in antiquo pietas & gratia cantu.  
Magna sed obscenas quæ fingat copia uoces,  
Quam furia extimulant, cuius sub labra uenenum,  
Et gladios acres, flammæ abduntq; rapaces.  
Miror, & haud mecum tu non miraris Amynta,  
Cur fortuna bonis semper contraria spiret,  
Et quo res peior, magis hanc sors leta secundet.  
Sollicitor non esse Deum, sint irrita fassa,  
Credere, qui æquali trutinat mortalia lance.  
Cuncta ruunt casu, Quis enim Deus omnia curet?  
Aut quis in has terræ sordes pertæsus Olympi  
Cælicola inspiciat? Supremis infima sordent.  
Si superis hæc cura foret, Philomela maneret,  
Carmine quæ fecit celebres hominesq; Deosq;  
Et cuculum ualidis auferrent fata catenis,  
Qui sua materno, fraterno & sanguine tinxit,  
Tingit adhuc uolucrum teneris ex artubus ora,  
Quæ tamen ut multo nutriantur sanguine pallent.  
Nunc sua nota uidens anteaetæ crimina uitæ,  
Induit accipitris formam, & uim fraudibus addit,  
Accipitrumq; genus firmo sibi foedere iungit.  
Iamq; dolis misero uictam stridore cruentat  
Sæuus auem, turpi pia uiscera tradet & aluo,

Ni Deus ipse sua toruum alitis opprimat hostem.  
Si Deus est, ut & est, scelus hoc cur tempore tanto  
In syluis uolucres finit extirpare canoras,  
Nec scelerata feris punit tot crimina poenis?  
Aut fortasse manet fatorum immobilis ordo,  
Legibus & fixis mundana haec stantq; caduntq;  
Nostrum, quod nolim, nec erit mens libera numen?  
A. Continuis animi fluitant erroribus aegri,  
Desine, diuersa est tua eis sententia dictis.  
Quam pia templa sonant nobis diuina parentis  
Sufficit, ( An dubitas patris de uoce? ) uoluntas.  
Talia ne in sacris dici congressibus audis?  
Crede Deo, uerax sibi non contraria sentit.  
Erepta est Philomela auium Regina piarum,  
Occidit è nostris flos & pastoribus omnis,  
Spreta ouium cultura iacet, non ullus aratro  
Dignus habetur honos, exculta noualia squallent,  
Sublatosq; uocant, uana sed uoce, colonos.  
Interea Cuculus syluasululatibus implet,  
Et spolijs uolucrum, furtiuos irrigat artus,  
Impia pastorum tetras per compita uoces  
Turba serit, blasphema Deo nec parcat, ut altas  
Ipse domos habitet clemens & cuncta gubernet.  
Ista putans casu fieri aut fataliter erras  
Mœri, regit totum Deus ut quoq; condidit orbem.  
Ira Dei gressu lentè procedit anili,  
Serior ut grauior poenis atq; implicat orbem.  
Grandia grandi etiam poena delicta piantur.

Excelsa

Excelsa sedem' numen sibi legit in arce.  
Omnia ut inspiciat uigilanti lumine uindex.  
Mense ut erat nostræ nuper conuiuia sacerdos,  
Cui nos diuinæ curam commisimus ædis,  
Hæc noua pro ueris me posse aiebat habere,  
Quæ si scire cupis repetam, plaustra ampla parari  
Poenarum Cuculo tute ipse fatebere Mœri,  
Vnde sed has habeat, nolebat dicere, uoces.  
Hoc scio quod nunquam fallax mendacia spargat.

Delectantur apes cytiso, alta fronde capellæ,  
Gramina currenti gaudent crescentia riuo,  
Gauderem Cuculum mihi quis si cantet ad aures  
Ex salice elatum tandem cecidisse cauata,  
Et sua maturasse illum sibi funera fune.  
Sed tibi quæ dicis tunc esse audita recense.

Est nemus Elysijs uicinum nobile campis,  
Paciferae qua stant oleæ qua palma grauatos  
Victrix delicijs protrudit in aëra ramos,  
Qua procera suas uuis turgentibus ulmus  
Vites pampineas spatiosa protegit umbra,  
Qua rosa luxurians dulci spiramine surgit,  
Qua uiolæ blandæ, qua dulcis amaracus amplam  
Vestit humum & semper beneolentes fundit odores,  
Qua laurus myrtusq; uirent, qua pulchra susurro  
Vnda fluit molli camposq; aspergit opacos.  
Huc uigilans anser Gabretæ natus ad alta  
Culmina migravit, migrarunt huc quoq; Cycnus  
Inclytus, & syluas habitans Philomela comatas,

Hinc

M.

A.

Huc aliae debent sanctae migrare uolucres,  
Huc sapiens ueniet cano iam corpore Cornix,  
Huc ueniet spinis habitatis libera Acanthis,  
Hic etiam doctae locus est signatus Alauda.  
Ad nemus assurgit collis, sub ualle propinqua  
Pastorum pia turba sedet, qui carmine Diuos  
Viui laudarunt, laudant tellure reposti,  
Cincti Amaranthæis iuuenilia tempora fertis,  
Carmine dulcisono respondent agmina syluae  
Aligera, exhilarat reliquos hæc Musica manes  
Qui campos habitant & rura beata peragrant.  
Feruet ubi præceps diris sed Tartarus undis,  
Titanesq; feros turpi in foetore uolutat.  
Hic nemus est piceis ramis insigne, rubentes  
Quos peredunt flammæ, crepitans ubi pascitur ignis,  
Immundas hoc claudet aues, hoc semper iniquas  
Audiet insuauiter crocitantibus ore uolucres.  
Vulgares cuculo non hi debentur honores.  
Urna stetit triplici multum concussa senatus  
Quo Ditis uarias componit curia lites,  
Quæsitumq; scelus cuculi quo grande piari  
Possit supplicio, dubias noua crimina mentes  
Iudicibus faciunt, uariè & sententia nutat.  
Concludunt tandem Furiarum munera trina  
Deberi cuculo, sceleri quia sufficit unus,  
Hungarici spolijs cum sit ditissimus auri  
Præmia nulla petens infernæ & seruiet aulæ.  
Hinc ea lugubris rerum quam forma uidetis,  
Anguicomæ

Anguicomæ extrudunt sua firma uenena sorores  
Certatim, terris altum nunc æthera miscent,  
Ne quid inexhaustum ueniens successor adiret,  
Qui superare uolet solita ambitione remotas  
Diuas atq; aulæ pomposos quæret amores.  
Venturi cuculi totus formidine languet  
Portior ipse Charon, metuens uectare carina (tum  
Corpus adhuc uiuum, scelerum ista & mole graua  
Iam trepidant animæ Cocyti ad flumina stantes,  
In cymbamq; ruunt, ueniens ne proterat istas  
Accipitrocuculus, quarum antea corpora diris  
Prenderit innocua & miserè discerpserit hamis.  
Det Deus ut tanto tandem sit libera monstro  
Terra, nec hanc unq̄ similis post calcet alastor.  
Hæc tunc ille mihi, iurans ad singula, dixit,  
Et credo, ast malim certo iam credita nosse.

Audieram quoq; tale aliquid si rite recordor  
Fatidici sunt hæc, mihi crede, oracula uatis,  
Nec uana esse solet multi quam fama fatentur.  
Ah utinam cuculus tota cum stirpe periret,  
Sic prior in sacros remigraret Musica lucos,  
Pastoresq; pium repetita carmen auena  
Cantarent, prior & pecudum cultura rediret.

Frustra uota facis, sua semina multa relinquet  
Sublatus cuculus. Mala uel sine semine durant.  
Summus ubi iudex immensi uenerit orbis,  
Tunc cuculina ruet socio cum fœdere proles.  
Sed nunc Mœri uale, nostram proficiscor in Urbem,

Hæc

M.

A.

Hæc ubi, si possunt, renouari rastra iubebo.  
Et ferrum longo ualidum consumitur usu.

M.

Hanc mecum maneat angusto in culmine noctem.  
Sol defessus equos solito iam flumine merget,  
Iam redit ad mulctram pecus, en quanta ubera uacua  
Immensamq; tui non cernis corporis umbram? (cæ,  
Nuper ut enixa est geminos macilenta capella,  
Ne matri ebiberent omnes è corpore uires,  
Vnum maectauit, quem mox assabimus, hædum,  
Adiungam dulcis, lactucas, pabula somni,  
Est mihi præterea uerni ingens copia lactis,  
Caseolusq; recens, sed uini pocula desunt,  
Hordea nunc potum faciunt quem cocta bibamus.

A.

Otia cum fuerint maiora aliquando manebo  
Nuper in obscuris mihi uisa est area spinis  
Frugifera, hanc rastris & grandi purgo ligone,  
Scis quoq; quàm multum domini præsentia proficit,  
Ad famulos cogar summo cras mane reuerti.

M.

Vicinæ ergo caue ne pons notissimus undæ  
Te ledat, multis inopini est causa pericli.  
Transgrediens miserè fregit crura ambo colonus  
Vicinus noster, quo non tibi notior alter,  
Hic sua iniqua domi conclusus uulnera deflet,  
Spem medici exiguam dicunt superesse salutis  
Ingens namq; grauat totum inflammatio corpus.  
Hunc super incedens casum est quoq; passus acerbis  
Simplicitatis amans, obseruantissimus æqui,  
Antiquus pastor, curis oneratus & annis,

CHI

Cui coniunx foecunda super, sed egenâ, columbam,  
Innumeram peperit, uegeta omnia corpora, prolem.  
Hic curuæ afflixit neruosa uolumina spine,  
Atq; cadens dixit, Nisi mortuus immemor huius  
Lapsus & pontis nunq̄ potero esse maligni.  
Huic temerè infido noli te credere ponti.

Cautus ero, præuisa minus quem spicula ledunt. A  
Quid domini faciunt? Non hæc iniuria pontis  
Sic neglecta foret melior dum curreret ætas.  
Iniusta à nobis quid uectigalia sumunt?  
Mœri uale, sua sat quemuis si cura fatiget.

19. Aprilis. Anno 1561.



act 1780

A. ...  
...  
...  
...  
...

1780



act





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



B. m  
SA  
VM  
QVO  
IS ET  
Christo  
60,  
X1980/48  
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)  
BIBLIOTHEC  
PONICKAVIAN  
phario  
no

